



PROOEMIUM.

S



i artis cujusdam præstantia ex eo dijudicanda veniat, circa quod illa nempe versatur: Medicina sane nihil erit præstantius, nihil excellentius. Omnes enim res creatas dignitate quadam singulari homo sine dubio antecellit, cujus itaque sanitas maximi æstimanda erit, ad quam conservandam, vel, si fracta fuerit, denuo redintegrandam tota jam tendit Medicina. Quo certius autem est, quod ars medica omnium sit præstantissima: eo gravius etiam animadvertendi erunt errores ab iis commissi, qui huic arti nomen suum profitentur. Non minutioris enim curæ res est, de corio humano ludere velle. Inter tot varios multiplicisque errores, quibus Medicina proh dolor! conspurcata est, ille non levis certe habendus est, qui ex neglecta curatori contemplatione hominis, utut constantis ex corpore organico arctissime juncto cum anima ratione prædita, suam trahit originem. Damna, quæ inde enascuntur, ingentia sunt: ad quæ jam disertius enarranda, non est, cur multis verbis utar, vel paucis e contrario commonstraturus, quid & quantum utilitatis ab ejusmodi instituta contemplatione hominis in artem medicam proficiscatur, exornati nimirum anima rationis particeps & corpori organico maximis quasi mutæ amicitie vinculis obstricta. Cujus rei documenta non ita dispersa sunt & disturbata, ut in iis conquirendis summa prius adhibenda esset diligentia, sed cuius plane obvia, qui vel mediocriter tantum ad se ipsum attendere didicit. Qui iræ paret, terrore percutitur, tristitiæ indulget: quot quantasque sibi noxas attrahit? Qui in desideriiis modum tenere, qui imaginationi nescit imperare: ipse quam variis cruciatibus corpus suum subjicit? En! quantopere corpus consentiat animæ. Quod cum
ita